

vitae expertem, contendat, tamen ne quid praetermittamus, rationes exploratas ad confirmandam Dei vitam afferemus. Ac *primum* quidem illas ex idea numinis repetemus. Quam enim a natura informationem naturae perfectissimae habemus, eadem nos permouet, ut eam viuam atque actuosam habeamus. Etenim, eximiam quandam dotem esse vitam, fatentur, etiam illi, quos fortuna demergit, teste LYCORHRO-NE apud STOBÆVM: 18

Ἄλλ' ἠνίκα μὲν ἦ πρόσω τὸ κατθανεῖν,  
 Ἄδης ποθεῖται τοῖς δεδυσυχηκόσιν.  
 Ὄταν δ' ἐφέρπη κῦμα λοίοθιον βίης,  
 Τὸ ζῆν ποθεῖμεν ἔ γὰρ ἐς' αὐτῆ κόρος.

Quae sic eleganter reddit GROTIUS:

*Mortem remotam poscit ardenti prece,  
 Quemcunque dura clade fortuna opprimit.  
 At cum supremus voluitur fluctus, redit  
 Vitae cupido: non enim satias tenet.*

Ex ipsa scala rerum creatarum idem luculenter patet, ubi ab inanimis ad animata ascendimus, atque, ea in quibus agitatio inest, aliis, caeteroquin praestantissimis antepo-  
 nimus. Quod si vita dos est, quae per se nihil vitiosi habet admistum, profecto a Deo seiungi non poterit, cuius notio omnes ac singulas dotes, si modo verae sunt, complectitur. Deinde vim agendi substantiae simplici propriam esse, ex Metaphysicorum decretis constat. Deum vero natura praeditum simplici is demum negabit, qui absolutae necessitatis, quae in res compositas non cadit, non meminerit. Relinquitur, ut Deus vi polleat agendi, eademque actiosa sine intermissione. Nam nullum in Deo ipso impedimentum potest afferri, propterea quod in simplici natura contrariae vires locum non habent, neque aliquid extrinsecus vim Dei remorabitur, non aliunde pendentis. Deus ergo viuus erit, quippe cum sit continenter actuosus. Esse vero vitam diuinam non in motu, sed intelligentia maxime et voluntate positam, indidem elucet, quoniam motus in corporibus reperitur, Deus vero Spiritus infinitus est, cuius actiones ex intelligentia atque voluntate dimanant

Altera

18) in florilegio pag. 490